ANIMADVERSIONES IN Anatomiam Blancardianam.



Um à tribus annis, *candide Lector*, universalem corporis humani Anatomiam luci dedi, conquestus sum in præfatione, partes humanas à multis descriptas esse valde oscitanter: *multa* (ut eadem rursus repetam verba) *admodum obscura esse delineata; multa ineptè applicata; plures extare figuras inversas; plura etiam, quæ in solis bestiis observata sunt, sine discrimine ad hominem translata; quin & illi præcipuas brutorum partes attributas esse.* Hæc me potissimùm impulerunt ad scribendum. Conatus sum ut tibi offerrem opus lectione dignum & Tyroni medico fructiferum; sed quid meus præstiterit conatus, aliorum relinquo judiciis. Scio difficile esse, si non planè impossibile, ab hominibus, utpote errori obnoxiis, procedere tale opus ab omni parte perfectum; ideoque summoperè desidero ut, si quis errores notabiles (nam scriptionis errata, quæ à prudenti Lectori facilè corriguntur, parvifacio) in Scriptis meis offendat, illorum me commonefaciat: neque tantùm paratus sum eos emendare; sed etiam monitori isti & instructori me tanquam benefactori perpetuò devinctum agnoscere. Id ipsum in mea Anatomia Cap. XXXI. Tract. II. testatus sum *Clarissimo D. Bidloo*, nunc *Lugduni Batavorum Anatomiæ Professori Ordinario*, illum adhortans ut membranam urinariam fœtûs humani, quam ego in meis Scriptis supposui non dari, clariùs describeret, modumque inveniendi demonstraret. Id ipsum quoque eidem Clarissimo Professori hîc Lovanii à duobus annis coram testatus sum, rogans ut conferendo nostra opera mutuos (nam ipsius aliquos modò adverteram) errores demonstraremus. Nec ipse abnuit; sed decedendi necessitatem causatus est, addens sese quam primùm Bruxellis redditurum, atque petitioni meæ abundè satisfacturum. Verùm credo illum negotiis aliò fuisse abstractum: etenim ab illo tempore carui Clarissimi Viri præsentiâ. Quod verò spectat membranam supradictam, promisit ipse *D. Bidloo Clarissimo Viro D. I. Bartholomeo Ordinum fœderat. Archiatro ac Philosophiæ Professori*, se mihi responsurum. Attamen jam per duos annos

Controversia de membrana urinaria in fœtu humano.

nos & amplius expectans nihil à *Clariſſ.* Bidloo percepi; quod circa feſtum Pentecoſtes anni 1696. præfato *D. Bartholomeo* me hîc Lovanii invitenti vix perſuadere potui, utpote ſummoperè miranti cunctationem *Clariſſ. D.* Bidloo fidem datam non liberantis. Nemo igitur, ſpero, mihi vituperio aut dedecori vertet, ſi aliis ultrò præſtem, quod ab illis beneficii loco præſtari deſidero, iis videlicet ſuos errores demonſtrando. Certè ſi eum in finem libros componamus ut inde Lectores diſcant, ac ſtudioſi adoleſcentes aliquando in Viros Reipublicæ utiles evadant; non minorem præſtabimus publico utilitatem, ſi in libris confectis ea, quæ finem iſtum remorantur, quæque proinde ſtudioſis cavenda ſunt, indigitemus, maxime dum Authores adhuc in vivis ſunt, ſuaque opera ad futurum commodum corrigere valent. Hæc conſideratio me impulit ad hoc, quod ſequitur, ſcribendi genus, à quo alioquin mihi videbar abhorrere. Accedit injuria ſtudiis & laboribus meis illata: etenim nuper mihi oblata eſt Cl. D. *Steph. Blancardi Anatomia reformata*, ſive concinna Corporis humani diſſectio (*Deformata & inconcinna* dixiſſem, niſi verba Authoris fuiſſent fideliter referenda) in qua inveni figuras ex meis deſumptas, meoque labore ac ſumptibus delineatas, ſexaginta novem, non niſi ſemel factâ mei mentione; nec ullibi indicato reliquas figuras ex meis eſſe tranſlatas. Nonnullas etiam, quas ego acceperam ex *DD. Williſio* & *Bourdon*, addito, ut decet, Authorum nomine, ab eodem *D Blancardo* abſolutè pro ſuis uſurpatas. Illam inſuper, cujus me Authorem fatetur, figuram unicam, ita vitiatam ac deformatam reperi, ut me pudeat eam agnoſcere pro mea, optemque ut ſicuti alibi, ita etiam hîc nomen meum ſubticuiſſet. Cum aliis pleriſque mitiùs actum eſt, niſi quod pro more ſuo eas poſuerit inverſas, adeóque quæ in latere dextro collocanda erant, collocentur in ſiniſtro, & vice versâ. Eandem ſortem ſubiêre aliorum figuræ plurimæ. Dico *aliorum:* nam tam figuræ Anatomiæ *D Blancardi*, quàm ipſe textus (miror ſi quæ excipi debeant) omnia ex aliis Authoribus deſumpta ſunt. Nec inde, ut quidam ſibi imaginantur, exurgit opus perfectius; nam præter hoc quod *C. D. Blancardus* bona à malis veraque à falſis decernere nequeat, adeóque omnia ſine diſcrimine ac ſine delectu in libros ſuos transferat, etiam parùm curat cuinam hæc, cuinam illa applicetur imago. Mehercule ſicuti ad pulchrum aliquod ædificium exſtruendum non ſufficit habere lapides bene proportionatos politosque, trabes aliamque materiam ſelectam; ſed inſuper requiritur debita illorum poſitio atque mutua adaptatio; ſic neque ex Scriptis plurimorum Authorum pluribuſque figuris per illos delineatis, utut optimis; exurget elegans opus, ſi deſit debitus ordo & apta

D. Blancardi Anatomia inconcinna.

locatio:

locatio : quantò minùs si non optima quæque ; sed cuncta obvia sine delectu ad opus illud arripiantur. Ut autem revertar ad Anatomiam C. D. *Blancardi*, quomodo illam reformaverit ; quàmque eleganter omnia ex aliorum Scriptis surrepta concinnaverit, patebit ex sequentibus.

Extant Anatomiæ Cl. D. Blancardi duæ editiones latinæ, quarum posterior priorem mole quidem valde multùm, sed virtute admodum parùm superat. Etenim quas in editione posteriori ex meis assumpsit figuras, licet supponantur accuratiores, vix aliter spectari debent quam lapides benè quidem politi, ast in structura ædificii malè applicati. Enimverò quanta imprimis obscuritas atque confusio resultet ex figuris inversis norunt illi, qui Anatomiæ studio dantes operam, aliquando inciderunt in ejusmodi figuras, sicuti ego olim incidi in tales figuras *D. Valverdæ*. Insuper figuræ in Anatomia *D. Blancardi* nec proprio loco positæ sunt, neque descriptio sive textus illis ullo modo est appropriatus : quomodo enim apropriaretur idem figuris ita diversis? Etenim, ut alia taceam, editionis anni 1687. fistulam pulmonalem ejusque cartilagines & musculos habuit ex *D. Blasio*, seu potius ex *Veslingio** (nam ex hoc Authore illas transtulit *Blasius*) iisdem vero figuris in hac editione rejectis, meas supposuit ongè aliam præ se ferentes faciem: in textu interim sive in serie explicationis ne litteram quidem mutavit. Adhæc cum in hac ultima editione descriptionem fistulæ pulmonalis ejusque partium absolverit paginâ 79. figuras atque indices non exhibet nisi post paginam 384. neque alibi in descriptione indicat Lectori dictas figuras ; proinde non nisi occasionaliter inveniendas, vel per librum ferè totum quærendas. Sed hæc omnia generalia sunt. Utilius erit examinare quædam in particulari. *Obscuritas ex figuris inversis.*

In descriptione Anatomica tam hujus quam alterius editionis *CL. D. Blancardus* incipit ab illa Cordis, quâ absolutâ, exhibetur Tabula III. In priori editione I. continens figuras undecim ; quarum decem desumptæ sunt ex Lowero, suppresso Authoris nomine : neque aliud quam Cordis fibras, internamque ventriculi & auriculæ dextræ faciem representant : undecima, quæ ipsi tertia est, ex primis & antiquissimis figuris *Bartholini senioris*, exhibet Cor transversim dissectum ut ambo Ventriculi appareant ; sed crassâ Minervâ, prout ferebat ætas illa, quâ Anatomia non ita, uti moderno tempore, erat exculta.

Non est igitur in hisce figuris, ex quo Anatomiæ studiosus formare possit ullam vel rudem Cordis ideam ; quod tamen ante omnia erat satagendum : Quomodo enim Tyro Medicus figuras illas Cordi ritè applicare poterit, si ipsam ignoret totius Cordis formam? Proinde licet *Figura male applicata.*

figuræ *Cl. D. Lowери* ſuam mereantur laudem, hoc tamen loco poſitæ non poſſunt non dehoneſtare D. Blancardi opus.

Sequitur Tabula IV. in priori editione II. complectens figuras ſeptem; ex Bartholino ſex: quarum prima repræſentat foramen ovale; altera tubum arterioſum, & quidem facilè triplo longiorem, quam eſt in Natura: quatuor ſequentes monſtrant Cordis & arteriarum valvulas: Septima ex *Cl. Lowero* foramen ovalem in fœtu exhibet. Neque in his ullam vel moraliter exactam Cordis ideam reperire eſt: quamquam enim illæ, quæ foramen ovale & tubum arterioſum exhibent, etiam aliquam totalem Cordis figuram præ ſe ferre videntur, hæc tamen nimis rudis eſt, minimèque ab Authoribus, foramen illud aut tubum demonſtrantibus, intenta

Fuerunt autem figuræ iſtæ in præcedenti editione omnes inverſæ; ſed ultimâ editione anni 1695., neſcio quo fato, quaſi in nitorem originalem reſtitutæ ſunt, quamvis non meliùs applicatæ. Habet etiam hæc ultima editio tres figuras Cordis ex meis; ſed illæ omnes in *Blancardi* opere inverſæ ſunt, cumque, conformiter ad ejus deſcriptionem Cordis, primæ eſſe deberent, ponuntur Tabula X. paginâ 67. cum ipſe Cordis deſcriptionem abſolviſſet paginâ 26. Aliam habet cordis figuram Tabula VIII. ſed etiam inverſam, atque à deſcriptione Cordis nimis remotam: neſcio ex cujus opere deſumptam.

Succedit in Anatomia *D. Blancardi* deſcriptio Arteriæ magnæ (ſanguinis diſtributorem vocat) deinde venæ cavæ, ſeu, ut ille loquitur, reductricis ſanguinis: tandem venæ portæ & venæ pulmonalis. At in figuris primò producitur vena cava Tabulâ V. Authore Bartholino ſat ruditer delineata, omiſſâ incurvatione &c. in præcedenti editione continetur hæc vena Tabulâ III.

Sinum quartum ex Authore valde inepte tradu-xit D. B.

In hac Tabula fig: 2. ponitur ſinus quartus cum plexu choroideo, à *Clar. Dom. Verheyen*, ut loquitur, delineatus. Hæc eſt unica figura, cujus me agnoſcit Authorem, quamque vitiavit ac deformavit plurimùm: etenim præter hoc, quod elementa ſeu notæ non ponantur ſuo quæque loco, ſinus in figura *D. Blancardi* longior eſt quam in mea; ſed alæ plexûs choroidei breviores, adeoque proportionem ipſe non obſervat. Deinde arteriæ inferiores ad ramos ſinûs accidentes duplo majores ſunt quam in mea figura; ſuperiores autem circiter triplo, quæ proportio adhuc longè magis excedit in glandulis.

In Tabula VI. figuram 1. & 2. etiam malè transtulit; ſed cum hæc non ita nata ſint inducere errorem in animos ſpectatorum, tranſeo ad Tabulam *D. Blancardi* IX. quæ in præcedenti editione eſt V.

Figura

Figura 1. *Arteriæ magnæ infantis post partum sex mensium cerâ repletæ universam per corpus destributionem repræsentat*: sed talem, qualis in rerum Natura nusquam existit. Dixi in mea Anatomia tractatûs VII. capite 1. vulgarem Aortæ descriptionem esse erroneam; veramque & legitimam eodem capite tradidi, ac Tabula XXVII. veram ac legitimam delineationem adjunxi. Insuper non solum candidè affirmare posium me nunquam ante meam propriam, vidisse illius Arteriæ ideam, quæ non à genuina ejus conformatione ac distributione plurimùm abluderet; sed insuper asserere audeo me nunquam vidisse ullam ita à Natura alienam sicuti hanc *D. Blancardi* ejusque prototypon à *Clariss. D. Bidloo* excusum. Non quod sustineam hanc arteriæ delineationem fideliter desumptam esse ex Bidloana: potuit enim *D. Blancardus* commisisse errores aliquot in translatione, prout commisit in translatione præfatæ figuræ 2. Tab. V: cui nomen meum adjunxit: neque in præsenti mihi ad manus sunt Tabulæ *CL. D. Bidloo*, ut eas cum hac *D. Blancardi* conferam. Recordor equidem me in opere Bidloano vidisse præcipuos errores, quos in figura Clar. Blancardi demonstratum eo. *Figura aorta admodum vitiosa.*

Dixi in mea Anatomia, loco mox citato, Authores Anatomicos errare quia dividunt truncum Aortæ capsulam cordis egressæ in *ascendentem* & *descendentem*, atque illum rursus in *subclaviam dextram* & *sinistram*. Ostendi deinde eandem subclaviam abscedere à principio Aortæ descendentis, & propè illius principium exoriri carotidem ejusdem lateris; nullumque esse truncum Aortæ ascendentis; nisi ita vocari lubeat partem illam, quæ includit subclaviæ & carotidis dextræ principium.

Conveniunt equidem Authores Anatomici quod subclavia sinistra à trunco Aortæ ascendentis (ut loquuntur) abscedat loco humiliori quam dextra, adeoque magis rectè ad brachium ejusdem lateris accedat; idemque dicit in sua descriptione *D. Blancardus*: & alii passim arteriam istam conformiter delineant: ita *D. D. Vesalius*, *Spigelius*, *Valverda*, *Willis*, aliique plurimi; ut saltem pro arteria humana caninam repræsentent. Propinquiùs ad naturam accedunt *Bartholinus*, *Vesslingius*, *Blasius*; quamvis in descriptione conveniant cum prioribus.

Dicunt ulteriùs iidem Authores, & *D. Blancardus* ipsè, Aortam descendentem majorem esse ascendente, & subclaviam dextram ampliorem sinistrâ; quod tamen verum non est nisi quatenus trunculum istum, qui includit principium subclavia & carotidis dextræ, accipiunt pro initio subclaviæ.

At verò Aorta *D. Blancardi* dividitur primò in truncum *ascendentem ampliorem* & *descendentem angustiorem*, & ille rursus in *ramum dextrum minorem*

minorem & *sinistrum majorem*, directè contra ejus descriptionem: deinde, qui hîc præcipuus error est, subclaviæ ambæ æquè altè & ex opposita regione abscedunt ab Aorta ascendente, ferè uti observatur in vena cava. Quæ si ita essent, impossibile foret ut subclavia dextra reciperet sufficientem sanguinem: neque apparet quomodo in figura *D. Blancardi* posset sanguis sufficienter ferri ad cerebrum pro sequestratione spirituum: etenim in dicta figura arteriæ subclaviæ & cervicales quodammodo perpendiculariter abscedunt ab arteriis subclaviis, ut proinde sanguis è Corde expulsus transiens versùs cerebrum deberet primò intrare subclaviam dextram (ad sinistram foret transitus paulò facilior) sub angulo acuto, & inde statim dextram carotidem sub angulo ferè recto; ubi tamen sanguis per carotides tendit à Corde ad Caput ferè per lineam rectam. Verùm quidem est quod sanguis non æquè facilè intrare queat arterias cervicales; sed hæ valdè exiguæ sunt respectu carotidum, adeoque & sanguinem paucum ad cerebrum tranferunt.

Hîc rursus enormiter peccatur in figura *D. Blancardi* dum exhibentur arteriæ cervicales illarum, quæ ad caput scandunt, maximæ, cum tamen singulæ cervicales nequidem quartam partem singularum carotidum constituant. Insuper ubi in corpore arteriæ cervicales egrediuntur è subclaviis valdè remotè versùs axillares, in hac *Blancardi* figura abscedunt primæ atque è regione Cordis. Nec dici potest hîc esse erratum in nomine, dictasque arterias esse malè notatas; quia licet illarum progressus & distributio non conveniant arteriis cervicalibus; sunt tamen ab hisce minùs aliena quam ab ullis aliis.

Notet hîc Lector quod illa, quæ dicta sunt de arteriis in latere dextro, in præcedente editione intelligi debeant de iisdem in latere sinistro, & vice versa: solebat enim arteria ista exhiberi inverso modo; sed error ille in ultima editione correctus est.

Quas ipse deinde depingit arterias carotides in ramum exteriorem & interiorem, Chymeris proxima sunt, suamque ineptitudinem sat manifestè præ se ferunt. Arterias quoque intercostales exhibet admodum paucas, easque statim desinentes in exiguos ramusculos; cum tamen omnes continuato trunculo ad pectoris anteriora excurrant, demissis hinc illinc ad partes vicinas, maximè ad musculos intercostales, pluribus ramusculis. Quid dicam de ipsius arteria cœliaca, de meseraica superiori, de spermaticis eorumque exortu? Tædet profectò referre. Rogo itaque *D. Authorem*, ejusque Lectores ut figuram illam inspiciant, eamque cum ipsa arteria in corpore conferant: nil ferè in cadavere offertur

tur faciliùs & clariùs oculis ſpectatorum quàm ipſa Aorta ejuſque primæ diviſiones, modò partes adjacentes fuerint paululùm remotæ.

Hæc cum ita ſint, mirari ſubit quòd *Clariſſimus D. Bidloo* (ex cujus opere *D. Blancardus* figuram ſuam excepit) arteriam iſtam propoſuerit orbi litterato ita deformatam atque à Natura alienam: etenim ſi unquam inciderit in arteriam ita monſtroſam, illud ipſum indicare debuiſſet, nullatenus autem illam proponere ut naturalem. Interim ingenuè fateor me nunquam vidiſſe magnam diverſitatem in diverſis ſubjectis inter primas diviſiones Aortæ, vel inter arterias ſubclavias, carotides, cervicales, intercoſtales, cæliacam aut meſeraicas: & licet ſæpè invenerim aliquam differentiam inter arterias, ſpermaticas diverſorum ſubjectorum; nunquam tamen vidi ullam, quæ ad illas figuræ Bidloanæ aliquo modo accederet. Nec credo fœtum cum tali arteria ſubſiſtere, naſci atque ad menſes ſex partui ſupervivere poſſe.

Eſt inſuper tota hæc arteria in opere *D. Blancardi* ita horridè delineata, ut potiùs repræſentet arborem quamdam ſpinoſam quàm partem corporis humani; illiuſque extremitates, maximè in capite, rectiùs foliis laricis quam arteriis capillaribus aſſimilentur.

Hæc circa Aortam *D. Blancardi Bidloanam* annotata ſufficere arbitror. Etenim cum *Clariſſ. D. Bidloo* modò ſit profeſſor publicus, non dubito quin frequenter exerceat Anatomiam, etiam in cadaveribus humanis, in iiſque arteriam magnam oſtendat: illam autem oſtendere non poteſt niſi ſtatim appareat quantopere in ejus delineatione à recto tramite aberraverit. Unde elegantiorem Aortæ delineationem ab illo expecto, cum non dubitem quin errorem illum ſit correcturus. Tranſeo ad reliqua à *D. Blancardo* ineptè compilata.

Sequitur in editione noviſſima *D. Blancardi* Tabula X. continens figuras VI. quarum quinque præcipuæ ex meis deſumptæ ſunt. Harum una repræſentat Cor pericardio incluſum; altera illud exemptum; tertia idem per medium diſſectum; ſed omnes inverſæ ſunt. Inſuper quas ego in mea tabula inſcribo figuras 1. 2. 3. 4. 5. ipſe inſcribit 5. 6. 3. 4. 2. non reflectens quod primò eſſet exhibendum Cor in ſitu & pericardio involutum; deinde Cor pericardio exemptum, & poſtmodum illud ſecundùm longitudinem diviſum. *Alia D. B. inepta compilationes.*

Succedunt *D. Blancardi* Tabulæ XI. & XII. ex *D. Kerkringio:* in præcedenti editione VII. & VI. quarum hujus figura prima repræſentat ramos venæ portæ, altera venæ cavæ per hepar diſperſos: rami autem prioris venæ valde parum faciunt ad rem, cum nullam venæ

portæ ideam ſpectatorum animis imprimere valeant. Primò igitur delineanda erat ipſa vena portæ, illique deinde curioſitatis gratiâ figura *D. Kerkringii* ſuperaddi poterat.

Subſequitur explicatio Pulmonum, eâque finitâ ponuntur Tabulæ tres continentes aliquas partes pulmonis ovini; humani verò parum vel nihil. Hìc ſummoperè mirandum eſt viri iſtius in eligendo judicium, qui Tabulam ſuam XXXIV. totam deſumpſit ex mea XV. continente figuras 17. quas omnes integras tranſtulit *D. Blancardus*, exceptâ primâ repræſentante pulmones humanos integros ſatis exactè delineatos, cum annexa aſpera arteria, cum oſſe hyoide, muſculis & glandulis ad illam pertinentibus; ex quibus accepit ſolam aſperam arteriam cum annexis, omiſſis pulmonibus, qui tamen in toto ejus libro extant nullibi. Inſuper cum abſolviſſet deſcriptionem aſperæ arteriæ paginâ 79. Tabula, in qua illam delineavit, ponitur paginâ 384 nullâ uſquam loci factâ mentione: ut proinde Lector debeat habere patientiam donec fortuitò incidat in haſce figuras. Paulò nitidiùs magiſque ad rem poſitæ ſunt ipſius figuræ editione præcedenti ex *DD. Blaſio & Williſio*, quas hâc editione rejecit, meaſque ſubſtituit.

Tabulas ex Neurographia *D. Vieuſſens* habet plurimas, eumque ſingulis Tabulis de novo citat, quod facit; ut reor ne hominem iſtum ita vicinum offendat: illius tamen figuras etiam edidit inverſas, eâque ratione maximè vitiata eſt Tabula AA (iſtis elementis notat Tabulam primam ex *Domino Vieuſſens*) ſicut pari ratione vitiata eſt figura *Williſii* Tabula XXIV. in præcedenti editione XVI. Hìc rursùs obiter nota qualem exhibeat Tabula *D. Vieuſſens* Aortæ egreſſum & diviſionem, quippe quæ nullam habeat ſimilitudinem cum figura *D. Blancardi* ante examinata: à mea quoque differt quod trunculus ſubclaviæ & carotidis dextræ principium includens non tantùm ad ſeſqui-digiti; ſed, factâ comparatione ad magnitudinem corporis, facilè ad integri pedis longitudinem extendatur; ſic ut arteria cervicalis potiùs abſcedat ab axillari quàm à ſubclavia: quod an Autheris, an tranſlatoris incuriâ acciderit, ignoro.

Tabulam XXXV deſumpſit ex mea IIII. proponente plures partes abdominis in ſitu; ſed in figura D. Blancardi, cum ſit inverſa, ſpectatur hepar à ſiniſtris, lien à dextris, & ſic de quibuſdam aliis.

Tabula XXXVI in præcedenti editione XXV. fig. 1. exhibet pharingem & œſophagum cum ſuis muſculis & fibris, notatque in œſophago tunicam carneam conſtantem fibris ſpiralibus duplicis ordinis, ſe mutuò ad angulos rectos, ut ait, decuſſantibus, juxtà deſcrip-

ſcriptionem *D. Stenonii*; quales fibræ in œſophago humano nunquam viſæ ſunt aut videri poſſunt. Tabula verò XXXVIII. proponit fibras carneas œſophagi ventriculo annexi; acſi conficerent quatuor parallelogrammos, prout eas deſcripſit *D. Williſius*. Verùm tam *Stenonium* quàm *Williſium* erraſſe ſatis demonſtravi in mea œſophagi humani deliniatione ac deſcriptione: ubi dixi & oſtendi illum manifeſtè componi ex quinque tunicis, quarum ſecundam carnoſam ac muſculoſam conficiunt fibræ duplicis ordinis, videlicet exteriores longitudinales & interiores annulares, aut certè proximè accedentes ad tales: deſcriptionem *D. Williſii* dixi ad amuſſim competere œſophago bovino. Unde figuræ 1. & 3. quas hâc Tabulâ (præcedens editio hæc non habet) exhibet *D. Blancardus* ex *Williſio*, verè ſunt chymericæ, confectæ ſcilicet ex delineatione ventriculi humani & œſophagi bovini. Ubi rurſus mirandus *D. Blancardus*, quia meam œſophagi delineationem non accepit; ſi non propter veritatem, quam ipſe neſcit; ſaltem propter novitatem. Interim licet videatur aliquid artis œſophagum humanum dividere in quinque tunicas, eas tamen ſpectatoribus oſtendere ſoleo ſine prævia præparatione aut ſpeciali artificio: fibras autem longitudinales & annulares quiſvis, etiam Anatomes ignarus, facilè obſervare poteſt.

Stenonii & Williſii error.

Figuræ D. Blancardi chymericæ.

Chymericæ quoque ſunt figuræ 1. & 3. Tabulæ XL. in præcedenti editione XXVIII. quibus repræſentatur pars ventriculi cum annexis inteſtinis, pancreas, meſenterium cum ſuis vaſis tam ſanguiferis quam lacteis: pancreas enim hominis eſt; meſenterium autem bruti, quippe in quo præter glandulam magnam treſque minores illi circumſtantes, nullæ omninò reperiantur glandulæ; quòd in humano meſenterio occurrit nunquam. Non eſt tamen meſenterium illud in figura *Blancardi* ullius illorum animalium, quæ ſubjici ſolent cultro anatomico, ſed alicujus ſpeciei extraneæ, ſeu potiùs imaginariæ. Nullum enim reperies meſenterium, in quo vaſa ſanguifera plurimis ramis majoribus à glandula magna quaquaverſum tendunt ad inteſtina, & quidem rectà adinſtar ſtipitis; ſed ſemper pauci rami majores dividuntur in tranſitu in minores atque minores, multiſque in locis ſibi invicem inoſculantur. Neſcio quoque cui exotico animali appropriari poſſunt inteſtina fig. 1. repræſentata, & meſenterio ita annexa ut plicas nullas, rugas vix habeant notabiles: cum tamen ipſe *D. Blancardus* dicat ſingulis palmas circumferentiæ meſenterii complecti *duodecim*, alio loco *quatordecim*, palmas inteſtinorum. Quomodo illa fieri poſſunt ſine inſignibus inteſtinorum rugis ac plicis? Hanc tamen

De Meſenterio.

De Inteſtinis.

Tabulam tanti facit *D. Blancardus*, ut eam hâc editione de novo exarari curaverit. Unde cum in præcedenti editione habuerit faciem rectam, in hac noviſſima habet omnino inverſam.

Tabula XLI. fig. 1. profert partem hepatis gibboſam & fig. 2. illam concavam ex *D. Reverhorſt Anat. prof.* &c. utramque vaſis lymphaticis inſigniter ornatam; ſed more Blancardiano inverſam, adeoque vitiosè tranſlatam ac proprio nitore ſpoliatam. Præcedens editio duas *De Hepate* has figuras non habet; ſed in ea exprimitur Tabulâ XXIX. Hepatis facies potiſſimùm à parte ſima, in qua ducitur vena cava omnino tranſverſim ſecundùm latitudinem corporis, cum naturaliter tranſeat ſecundùm longitudinem. Inſuper in hac figura ita connectitur altera pars venæ cavæ abſciſſa cum parvo lobo hepatis, ut appareant unum & immediatè continuum corpus, magiſque retortam ferream quam corporis humani partem repræſentent.

Tabula XLIV. in præcedenti editione XXX. in rene per medium *De Renibus.* diſſecto exhibet canaliculos urinoſos tendentes à circumferentia externa ad glanduloſos acinos: at quam ineptè? Siquidem canaliculi urinoſi humorem ſuum recipere debent ab ipſis glandulis, quomodo igitur tendunt ad glandulas, & non potiùs à glandulis procedunt? Si verò procedunt à glandulis, unde veniunt ad circumferentiam? Certè glanduloſi acini non in medio renis; ſed in circumferentia locati ſunt, indeque canaliculi urinoſi omnes tendunt versùs pelvim, ut optimè repræſentat figura 6. Tabulæ *D. Blancardi* XLV. ex meis deſumpta: quamvis ipſe hîc quoque erraverit in notulis ſeu elementis.

Tabula LIII. fig. 3. & LIV. fig. 2. repræſentantur ſecundinæ humanæ, & inter illas membrana urinaria, quæ ratione formæ in brutis dicitur *allantois*: figuram poſteriorem habet ex *Clariſſ. Bidloo*, eamque editione præcedente exhibet Tabula XXXVI. prioris Authorem ignoro. In utraque, ſed magis in prima ſpectantur (quæ vitia ſculptori quoque imputari poſſunt) vaſa umbilicalia quaſi omnino rigida, & magnitudine admodum improportionata. Ita quoque obſcurè re- *Membrana urinaria in fœtu humano Authori ſuſpecta.* præſentatur membrana urinaria, ut adhuc ſuſpicer, ſicuti ante ſum ſuſpicatus, membranam iſtam iſtis Authoribus numquam fuiſſe viſam; ſed potiùs pro ea interiorem chorei lamellam ipſis fuiſſe oblatam. Unde adhuc conſtanter & patienter exſpecto deſuper demonſtrationem *Clar. D. Bidloo* juxta ejus promiſſionem à biennio, ut dixi, datam *Clariſs. D. Bartholomeo.*

Myographiæ ſuæ adjicit *Clar. D. Blancardus* ſeptem Tabulas ex *Clar. D. Bidloo*, quarum tres priores pro majori parte repræſentant muſcu-

musculos in trunco collocatos; sed ita confusè & obscurè, ut non videam quomodo fructus ex inspectione temporis jacturam recompensare queat. Etenim cum figuræ *D. Bidloo* sint magnitudine insignes, *D.* autem *Blancardi* valdè exiguæ, perdiderunt illæ claritatem & nitorem in diminutione, quam, ut credo, *D. Blancardus* commisit sculptori. Insuper figura 4. Tab. CC. repræsentat nescio quid, pro musculo subclavio ejusque terminis. Serratum anticum majorem exhibet, suo modo, in statu naturali, dentibus, qui in Natura multùm descendunt, sursum protensis.

Sequuntur in præcedente editione *D. Blancardi* tres Tabulæ ex *Cl. D. Bartholino*, paucis aliis, iisque minoris momenti adjectis; sed illas noviſſima editione omisit, earumque loco quinque ex meis substituit, nisi quod in prima & secunda, quæ ipsius sunt LIX. & LX. simul habeantur pauca ex aliis. Nec magis facit hîc mentionem *Verheyen*, quam ante fecerat mentionem *Bartholini*. At risum vix teneo dum pagina 685. hæc lego:

FIGURA II.

„Musculi Oculorum & Glandulæ jugulares, Parotides, Labiorum *Ridicula.*
„& Buccarum. Repræsentatur autem Oculus dexter deorsum pen-
„dens; sinister verò sursum reflexus, ossibus orbitæ aliquatenus dif-
„fractis, ut musculi omnes conspiciantur in situ.

„A *Musculus palpebram superiorem attollens sursum reflexus & super*
„*orbitam oculi expansus.*

„B *Globus oculi.*

„a *Musculus oculum attollens:* à dextris.

„b *Musculus ocul. deprimens:* à sinistris.

„c. *Musc. adducens:* à s.

„d *Musc. abducens:* à d.

„e *Musc. trochleæ:* à d.

„f *Trochlea ipsa.*

„g *Musc. obliquus inferior:* à s.

Quæ de verbo ad verbum ex meis desumpsit, non reflectens quantopere figuram illam immutaverit. Imprimis enim figura illa mihi secunda, in ipsius Tabula est quarta: deinde cum illam pro more suo inverterit, omnia, quæ in meis spectantur à dextris, in ipsius visuntur à sinistris, & vice versâ. Quanta incuria! Quid erat facilius quàm in explicatione loco *à dextris* ponere à *sinistris* & è contrario, vel notas, quibus in altero oculo partes designantur, transferre ad alterum, conformiter ad mutationem figuræ. Præterea litteræ sive elementa, quibus

notantur partes in figura ista, facilè pro medietate desiderantur; alia malè locata sunt; pauca admodum posita sunt loco proprio. Ita facile est bona malè usurpari eaque per abusum reddere mala.

Felicior fuit *D. Blancardus* in transferendis quindecim sequentibus musculorum figuris ex meis, & decima sexta, quam ego accepi ex Spigelio, in Tabulas suas LXI. LXII. & LXIII. solummodo in quibusdam desiderantur aliqua elementa, & quædam in aliis malè locata sunt. Quod etiam contigit Tabulis LXV. & LXVI. de ossibus: in quibus habet ex meis figuris ultra viginti, rejectis eis, quæ præcedenti editione acceperat ex *DD. Vesslingio* & *Blasio*: sic ut hæ figuræ minùs vitiosæ (at nescio quid in siniſtro latere costis adhæreat) ac proprio loco positæ ipsius opus nonnihil honestent. Errores autem leviores fragilitati humanæ indulgendi sunt; crassi verò & Reip. medicæ pernicioſi minimè tollerari debent, maximè si occurrunt admodum frequenter.

Quod attinet ad textum *D. Blancardi* seu partium descriptionem; certè si magna ejus pars æquè ac integra figurarum Tabula, simul & semel oculis obverti atque inspici posset, illicò appareret quam confusè & inconcinnè illa sit consarcinata; sed majori opus est attentione ut singula vel cursim examinentur. Profectò non potuit ex tot tamque diversis Authoribus sine ulla discretione exscriptis, non exsurgere opus inelegans & malè cohærens. Imprimis enim stryli diversitas non exiguam parit difficultatem Tyronibus, quippè qui melius intelligant Authorem, in cujus lectione aliquatenus sunt versati, quamquam id minùs advertunt illi, qui modò evolverunt Authores plures. Totum verò opus perlegere, ut singulos errores annotarem, mihi non vacavit: unde solummodo aliquos, qui figuras examinanti, quasi fortuitò oblati sunt, hîc ostendam.

Opus D. Blancardi malè cohæret.

Pagina 10. in præcedente editione 8. describens pericardium hæc habet: *A mediastino pauculos accipit arteriarum surculos, qui propter illarum exiguitatem vix sunt observabiles. Venas habet communes à Phrenicis, & peculiarem à ramo subclavio.* Accipit pericardium tam arterias quàm venas à phrenicis & à ramo subclavio, easque multas, nec adeò difficiles observatu.

Pericardio perperam tribuit paucas arterias.

Pag. 11. aliàs 9. ita loquitur: *Pericardio amoto, ad cor transeundum, cujus vasa* (propria mox describit) *nobis priùs occurrunt.* Nulla est ratio dicendi quod vasa cordis priùs occurrant quam cor ipsum seu ipsius cordis substantia: estque hic ordo admodum præposterus. Quomodo enim Tyro aliquis poterit intelligere exortum & distributionem vasorum per cordis substantiam, si substantiam illam, situm ac figuram cordis

ig-

ignoret? Taceo quod introitus arteriarum cordis videri nequeat, nisi aperto aortæ trunco unà cum parte ventriculi sinistri cordis: neque egressus venarum, nisi venâ cavâ propè cor apertâ. Unde primò, saltem obiter describenda erant cordis situs, figura, sustantia ac structura: dein vasa communia, & tandem illa, quæ ipse primò describit, vasa propria: alioquin Lector, qui præviè ignarus est Anatomes, vix ullam ideam cordis & va-

Pag. 12. aliàs 10. describens arterias coronarias ait: *Arteriæ duæ* sorum formare poterit.

sunt, quarum orificia &c. & pag. 33. aliàs 31. describens distributionem aortæ dicit: *hæc arteria corde exiens de se producit arteriam coronariam, modò simplicem, modò geminam.* Primum exscripsit ex *D. Lowero*, alterum ex *D. Bartholino*: an verò hic aliquando invenerit arteriam coronariam simplicem multùm dubito, certè ego nunquam inveni. Interim si citasset *Bartholinum*, nulla foret hîc repugnantia *Blancardo* imputanda. *Arteria coronaria.*

Pag. 23. aliàs 21. partem venæ cavæ supra cor vocat *descendentem*, illam infra cor *ascendentem*; idemque rursus repetit paginâ sequenti: at pag. 41. aliàs 38. describens distributionem venæ cavæ ita loquitur: *porrò ejus truncus dividitur in ascendentem supra cor, & descendentem infra*; quæ etiam quandoque repetit quoad sensum. Unde venam, quam modò vocat *ascendentem*, aliàs vocat *descendentem*, & vice versâ: ut proinde pluribus in locis Lector scire nequeat de qua vena sit sermo. Dixi quidem in mea descriptione anatomica quo sensu aliqui vocant venam cavam *ascendentem* quàm alii *descendentem* appellant; sed oportet interim ut quisque teneat denominationem, quàm semel assumpsit; vel si mutet, id ipsum Lectori indicet. Ipse autem *D Blancardus* pag 45. aliàs 43. pergens in distributione ejusdem venæ, nominat venam cavam *descendentem* illam, quæ est supra hepar; nimirum ad mentem Veterum, qui statuebant principium venarum in dicto viscere. Ille tamen nullam facit mentionem Veterum aut Recentiorum; nullamque insinuat acceptionis diversitatem; sed omnia confusè in chartam conjicit, capiat quisque quod lubet & potest. *Vena cavæ denominationes confusa.*

Pag. 25. alias 23 describit foramen ovale in fœtu, & tubulum arteriosum inter arteriam pulmonariam & aortam descendentem verbis *D. Loweri*: at pag. 56. alias 53. cum vidisset in Bartholino speciale *caput* cum præfixo titulo, *de vasorum Cordis fœtûs unione*, illud etiam sibi assumpsit: unde capite VIII. sola repetit illa, quæ habet in fine capitis II. ne hilo quidem quoad substantiam mutato. *Foramen ovale & tubulum arteriosum.*

Pag. 38. aliàs 36. de vena cava & porta loquens ita fatur: *Si omnia ritè sint pensata unum idemque erit vas. Idque hoc experimento constat; si nempe lac mediante syphone portæ immittatur, ex eadem in cavam venam veniet.* *Vena portæ & cava unum idemq; vas.*

veniet, quod ſignum certum eſt ambas illas venas ſive mediatè ſive immediate invicem eſſe conjunctas & mutua anaſtomoſi gaudere. Pulchra conſequentia! Conjunguntur ambæ ſive mediatè ſive immediatè, ergo eſt unum idemque vas. Nunquid omnia vaſa totius corporis conjunguntur invicem ſive mediate ſive immediatè, cur non dicit quod omnia ſint unum idemque vas. Et quid hic opus tali experimento? Qui novit circulationem ſanguinis, bene ſcit quod ſanguis continuò transfundatur ex vena portæ in venam cavam.

Pag. .... alias 85. deſcripto nono pari nervorum capitis, ſubjungit: *Infra hoc in poſtremo occipitio è medullæ oblongatæ jam in ſpinalem ceßuræ lateribus, par aliud fibris etiam multis conſtans exoritur: attamen ex oſſium finibus non niſi infra primam vertebram emergit.* Et pagina 331. aliàs 270. explodit hanc ſententiam hiſce verbis: *Obſervari hic meretur D. Williſium ramum hunc nervi ex primo pari vertebrali deducere. Ratio eſt quia ille ſupponit decimum par nervorum medullæ oblongatæ non niſi inter primam & ſecundam vertebram emeregere. Cauſa autem hujus erroris eſt quod exitum decimi paris neſciverit.* Certè obſervari meretur *D. Blancardum* variis in locis ſibi contradicere, atque erroris notam inurere. Si *Williſius* ita erravit, cur utitur verbis illis erroneis ſine ullius Authoris mentione, ſed tanquam ſuis propriis? Jucundius eſt quod ſequitur.

D. Blancardus ſe ipſum explodit.

Pag. 180. aliàs 167. loquens de nervo auditorio ſive ſeptimi paris ait: *Alter hujus paris nervus ſive proceſſus, qui durior exiſtens motui potiùs quàm ſenſui conducit, os petroſum per foramen ſibi proprium pertranſiens, juxta meatum auditorium emergit, ubi mox in truncum ſuum ſurculum* (nota) *è pari vago illuc delatum aſciſcit.* Et nihilominus pag. 334. aliàs 273. dicit: *Williſius & poſt eum omnes Anatomici moderni aſſeruerunt octavum par ſurculum* (modò dictum) *ſuppeditare, qui jungatur trunco portionis duræ, ubi è foramine ſuo prodit. Ego complura ſubjecta examinavi ſpe rami hujus inveniendi; ſed eum vidi nunquam, & ægrè adducor ut credam Williſio eam umquam viſum fuiſſe niſi in brutorum corporibus.* Ecce tam audacter deſcripſit illum ramum verbis *Williſii* tanquam ſuis; jam rurſus exſcripſit verba alicujus alterius, quibus dum *Williſium* refutare videtur, ſe ipſum confundit ac refutat

Pag. 396. aliàs 11. partis ſecundæ (præcedentem editionem diviſit in duas partes, hanc non item) deſcribens tunicas œſophagi hæc habet: *proxima gulæ tunica .... hujus tunicæ fibræ carneæ vulgò rotundæ & tranſverſæ habentur; Sed Clar. Stenonius obſervavit eas ſpirales atque duplicis ordinis eſſe, quæ mirum in modum ſe mutuò intercuſſant; & binas*

veluti

veluti cochleas oppositas constituunt. Super his, quantùm observatione propriâ colligere potui, ut dicam, videtur totus œsophagus duobus musculis constare, qui quatuor paralelogrammos cum fibris oppositis & se invicem decussantibus efficiunt. Hîc propriam allegat observationem, hic Mathematicum se ostendit: & tamen illa omnia, etiam verba *Stenonis* ex *Willisio* exscripta sunt. Interim nec fibras suas spirales *Stenonius*, nec suos paralelogrammos *Willisius* observavit unquam in œsophago humano, prout satis ostendi in mea Anatomia cap. X. Tract. III. & etiam hoc capite, ubi examinavi figuram 1. D. *Blancardi* Tab. XXXVI. editionis novissimæ & præcedentis XXV. *DD. Stenonii & Willisii errores.*

Pag. 410. alias 22. partis secundæ, & aliquibus sequentibus, describit ita singulorum intestinorum longitudinem per palmos & pollices, ut longitudo illorum omnium simul, seu totius fistulæ intestinalis, sit *palmorum* circiter *quadraginta quatuor*: & pag. 414. alias 26. dicit eandem longitudinem esse *sex circiter ulnarum.* Addit statim: *attamen super his observare est mesenterii planum in plicas multas & magnas collectum in circumferentia sua trium circiter ulnarum longitudinem habere. Porrò mesenterii circumferentiam, ut longitudinem intestinorum coarctet, in singulis palmis duodecim* (nota) *circiter palmos intestinorum complecti.* *Contradictio in descriptione intestinorum.* Pag. autem 423. alias 34. describens mesenterium ita loquitur: *figura ferme circularis est, & quamvis diameter ejus vix spithamas duas superet, circumferentia tamen ob plicas plurimas omnia intestina connectit, adeo ut palmus unus ipsius fimbriæ plus quam quatuordecim* (nota) *palmos intestinorum angusto spatio complectatur.* Si singuli palmi fimbriæ seu circumferentiæ mesenterii complectantur palmos intestinorum *duodecim* aut *quatuordecim*, etiam singulæ ulnæ ejusdem circumferentiæ complectuntur ulnas intestinorum *duodecim* aut *quatuordecim*; & cum dicat eandem illam circumferentiam esse *ulnarum trium*, sequitur longitudinem intestinorum esse *ulnarum triginta sex*, vel *quadraginta duarum:* quomodo illa consistunt cum longitudine intestinorum ulnarum sex aut palmorum quadraginta quatuor? Quod verò spectat ad realem longitudinem: alibi dixi circumferentam mesenterii esse circiter ulnarum quinque cum dimidio, & singulis ulnis annecti intestinorum ferè ulnas duas cum dimidio; quamquam neque omnium intestinorum, neque in omnibus subjectis sit eadem ratio.

Paulò inferiùs tribuit mesenterio humano *glandulam magnam mesenterii seu pancreas Aselli*, & conformiter venas lacteas describit *primi & secundi generis*, quales in homine reperiuntur nunquam: uti latiùs dixi in mea Anatomia Capite XI Tractatu II. *& in Appendice Capite* 1. *De Glandulis Mesenterii.*

Pag. 427. aliàs 38. Partis secundæ in descriptione pancreatis inquit: *Magnitudo ejus sanis est modica, quæ si ad viscera comparetur, eorum plurimis cedit: at si cum aliis glandulis in homine adulto conferatur, omnes facilè superat.* Et tamen pag.... aliàs 65. ait: *Conglomeratam glandulam jecur esse rationibus & autopsiâ hucusque prout licuit, firmavimus; & quoniam conglomeratis glandulis hoc est solemne, ut proprio excretorio vase polleant: quod inductione ductibus duobus Clarissimis Viris Sylvio & Stenonio firmare posßumus, dum in parotidibus, pancreate, salivæ, sudoris & lachrymarum glandulis &c.* Ergo juxta *D. Blancardum* tam pancreas quam jecur est glandula conglomerata: quomodo igitur pancreatis magnitudo, si cum aliis glandulis in adulto comparatur, omnes facilè superat, cum illud ne quidem ad septimam partem Hepatis mole & pondere accedat? Sed ipse primum exscripsit ex Warthono, qui hepar non computabat inter glandulas: posterius legi in malpighio, ni fallar; certè in Authore, cujus scripta præextiterunt Blancardianis.

De Pancreate & Hepate.

Pag. 452. aliàs 62. partis secundæ in descriptione hepatis invenire est sequentia: *Priusquam cætera exponamus, inventionem alicujus novi ductûs bilarii apponam, qui ab inventore* D. *Parrault ductus cysthepaticus vocatur:* hunc postquam descripsit, pergit: *alii adhuc alios ductus detexére, qui etiam cum hepatico communicant,* quos iterum satis latè describit: & tamen eosdem ductus paulò ante descripserat verbis *D. Glissonii*, & quidem in subjecto humano, ubi descriptio *D. Parrault* quadrat solis illis ductibus in brutis, & quidem optimè in bove. Sic illa, quæ à longo tempore in corpore humano inventa sunt, fiunt nova quia reperiuntur in brutis.

Ductus Hepatici.

Descriptio dictorum vasorum subjungit *D. Blancardus: sæpè illos ductus discipulis meis demonstravi; sed in omnibus subjectis non apparent: dißecui nuper canem juniorem, in quo manifesti erant; eodem tempore in alio adultiore indagare non potui.* Miratus sum *D. Blancardum* habere discipulos in Anatomia; credo illos evasuros in viros ipsi similes: sed dubito interim an verba ista etiam ex alio non exscripserit.

Renes.

Pag. 477. aliàs 82. partis 2. dicit *extimam renum substantiam fibrosam tantum esse consimilem reliquis particulis renum ad pelvim usque, prout iconibus elegantissimè constat.* Absurditatem istarum iconum demonstravi agendo contra *D. Blancardi* figuram 4. Tab. XLIV. & in præcedente editione XXX. eamque videtur satis admittere ipse figurarum & scriptorum compilator, dum hâc editione etiam assumpsit figuram meam isti descriptioni omnino contrariam.

Musculi penis.

Pag. 523. aliàs 122. partis secundæ, cum verbis *D. De Graaf* longè latéque describisset partes genitales Virorum, illosque inter etiam

etiam quatuor musculos penis, addit: *usus horum musculorum ab omnibus Anatomicis dicitur penem erigere & urethram dilatare; quòd, ut verum fateamur, in sensum nostrum hactenus incidere non potuit; cum longe alium illis usum adscribendum judicemus.*

Ratio verò propter quam contra omnes Anatomicos Musculis prioribus penem extendendi & erigendi potentiam denegamus, est &c. Contra omnes, inquit *Anatomicos:* saltem non sentit contra *D. De Graaf. cujus ex* opere hæc de verbo ad verbum transscripta sunt. Interim & *D. De Graaf* in hac sua opinione deceptum esse, satis, ut opinor, probavi in mea Anatomia capite XXII. Tractatus II. *Error D. de Graaf*

Pag 580. alias 173. partis secundæ, cum ex scriptis *D. De Graaf* citasset verba *Clariss. Needham* asserentis quod membrana urinaria in muliere amplectatur integrum fœtum, concludit verbis ejusdem *de Graaf* tanquam suis propriis: *quod cum à nobis etiam animadversum sit, membranam hanc talem, qualem ipsam observavimus Tabula 36. fig. 1. huic capiti annexa deliniavimus.* Appositè hìc indicat suam figuram, quæ rara est viri prudentia. Interim cum in præcedente editione figuram *D. De Graaf* pro sua assumpserat; illâ in hac editione rejecta, aliam assumpsit Tab. LIII. Nescio ex quo Authore. Hæc est illa membrana, de qua jam aliquoties feci mentionem, & cujus demonstrationem expecto à *Clar. D. Bidloo.*

Sequitur descriptio glandularum ex *Clar. D. Nuck:* ac deinde musculorum & ossium; quarum partium, cum sint admodum numerosæ, examen majorem requirit attentionem quam ut eidem in præsenti vacare queam. Puto etiam modo dicta sufficere ut Lectores reddantur cautiores, & videant quibus libris studia sua impendant, maximè si jactanda sint Anatomiæ fundamenta: nam aliquo modo intelligentes facilìùs advertunt errores, & rosas à spinis discernere norunt. Existimo quoque eadem sufficere ad admonendum *D. Blancardum*, ut si imposterum compilare velit, id equidem faciat majori curâ ac diligentiâ.

Nota dixi *pagina 7.* me nunquam ante vidisse ullam Aortæ (delineatæ) ideam, quæ non à genuina ejus conformatione ac distributione plurimum abluderet: at modo recordor me ab annis aliquot inspexisse Tabulas CL. D. Bourdon, & nullam habeo ideam de Aorta in illis delineata; ac proinde illa dicta ad præfatas Tabulas non extendo, nihil prorsus affirmans de re mihi planè dubia. *Admonitio.*

Habet insuper CL. D. Lowerus aliquam radicis Aortæ delineationem non planè contemnendam, sed cum sit tantum exigua pars, quâ Author intendit demonstrare egressum sanguinis è sinistro Cordis ventriculo, illam inter Aortæ delineationes non putavi numerandam.